HÆMORRHOIDES IN PECTORE:

Sive de

PRÆTERNATURALI, AC LETHALI, FLUXUS HÆMORRHOIDALIS SUPPRESSI, AD PECTUS TRANSLATIONE,

OBSERVATIO ANATOMICO-PATHOLOGICA,

notata à

JO. HENRICO HERLINO, Med. D.
Pract. Altenb.

ALTENBURGI,
Exscripsit Jo. Ludov. Richter, Typogr. Aul.
Anno 1716.

I. N. J.

ANatomiæ Finem pathologicum in abſtruſorum Morborum ac Vulnerum Cognitione, ſingularum proinde Partium, Viſcerum atque contentorum præternaturaliter affectorum, aut læſorum, Perluſtratione & Inſpectione, Cauſarumque morbificarum Explicatione, occupatum eſſe, imò Statum naturalem ex præternaturali eruere, Rerum phyſicarum, & Artis medicæ Sectatores latere haud poteſt. Magnam propterea laudem meruere Bonettus, qui hujus Rei ſummam neceſſitatem & utilitatem

perpendens, Anatomiam practicam, & Sectiones, morbis, aut caussis violentis, Defunctorum, plurimas adornavit, atque earundem Historias publici juris fecit: & Riolanus, qui in Enchiridio suo anatomico, & nisallor, etiam in Anthropographia, post Enarrationem Constitutionis naturalis, cujusque Partis, ejusdem Constitutionem contrà naturam, hoc est, Pathologiam adjunxit, quò facilior sit Morborum & Symptomatum Cognitio, quæ Partibus inhærent, quia præcipua indicatio medendi sumitur à Parte affecta, cujus Statum naturalem scire debet, qui voluerit rectè & ritè mederi. Quodipsum etiam hodie prudentes ac solertes Praxeos medicæ Cultores observare solent, dum vel ipsi, modò concessum sit, Cadaverum, ex Morbis, aut violenter mortuorum Dissectionibus, manum admovent,

vel

vel ab aliis inſtitutis adeſſe gaudent, quatenus exinde non tam Curioſitatis, quam Studiorum ſuorum, atque Praxeos emolumentum inſigne capere queunt. In dicenda enim Sententia, Medicus multò certior eſſe poteſt, ſi ſedula Conſtitutionis internæ Inquiſitio, aut accurata Vulneris Luſtratio atque Inſpectio præceſſerit. Cum igitur jam Annis ſuperioribus ejusmodi Operationibus & Inſpectionibus, manum & mentem adhibuerim, & præcipuas Obſervationes conſignaverim, quodipſum nec hodie, datâ occaſione, prætermitto; ex harum Obſervationum cenſu, ſequentem judicavi dignam, quæ & paulò accuratius perveſtigetur, & in medium proferatur. Quem Conatum, ut L. B. meliorem in partem interpretari velit, eſt, quod maximopere rogo.

HISTORIA.

VIr honestus ætatis LV. annorum, Temperamenti cholerico-melancholici, Scorbuticus atque Hypochondriacus, à multis proinde Annis, variis afflictus Symptomatibus spasmodicis, Doloribus tensivis, gravativis, Vertigine, Anxietate Præcordiorum, Respiratione difficili, Palpitatione Cordis, Pathematibus stomachicis, Inflationibus Ventris, Obstructionibus & ejusmodi pluribus: Fluxu quoque tentabatur Hæmorrhoidum, utplurimum moderatô atque periodicô, ex quo sibi salutarem pollicebatur eventum, fore nimirum, ut Natura, horum beneficiô, saburram Humorum vitiosorum, eliminatura sit, confirmante hoc Medicorum effatô, quod Scorbutici pariter, atque Hypochondriaci, peculiariter, Fluxu Hæ-

Hæmorrhoidum, leventur, quos non ſaltem à malorum ſerie interdum liberant; verum à nova etiam invaſione, præſervant, nec ſpes fefellit: remiſerunt enim dicta Symptomata notabiliter. Excretio illa hæmorrhoidalis durabat per Annos plures, donec aliquando ſpontè deſiſtebat, ægrô parum animadvertente, neque curam hujus Rei gerente. Præterlapſô, à ſuppresſione hâc, Anni dimidii, & quod excurrit, ſpatiô, media Nocte, inopinatâ, atque inſolitâ, obruebatur Præcordiorum Anxietate, ſubſequente Tusſi vehementiſſimâ, atque excretione, ſeu rejectione per Os, Sangvinis merè grumoſi, copioſique, validâ, per aliquot vices. Vocabatur Medicus, mihi cognatus, qui materiam cruentam, rejectamque conſiderans, interrogabat ægrum, num Hæmorrhoides ritè adhuc fluerent, nec

nec ne? ad quæ ille: Ultrà dimidium Annum, Fluxum iſtum deſiiſſe, ſeque Tusſi hactenus reiteratâ, afflictum fuiſſe, voce debili & parvâ, ob interceptam Reſpirationem, viriumque maximam proſtrationem, imò moribundis; reſponſit, paulò poſt exſpirans. Sequenti die concedebatur Sectio Cadaveris, cui me adjunxit Medicus: Thoracis igitur primò inſtituebamus Luſtrationem, in quo remotô Sternô, totam Lateris dextri Cavitatem, magnâ quantitate Sangvinis extravaſati, & grumoſi impletam; Partem verò Pulmonis dextram, ejusque Lobos, corroſos ferè penitus, & putridos offendimus, Parte Pulmonum ſiniſtrâ cumCorde, integris adhuc exiſtentibus. In Abdomine, Tunicæ Ventriculi interiores, hinc inde quodammodò erant corroſæ; Lien vero, cujus Color ater fuit, & ni-

gri-

gricans, totus exiſtebat corruptus, putridâ intus infarctus materiâ.

RESOLUTIO.

AFfectus, quem Hiſtoria prædicta memorat, atque continet, eſt Hæmorrhoidum internarum ac fluentium, poſt earundem Suppresſionem pernicioſam, præternaturalis & lethalis, à loco conſueto & convenienti, ad incongruum, Pectus ſcilicet, hujusque organa, Translatio. Pro meliori igitur Dilucidatione eorum, quæ ad ſcopum præſentem faciunt, juvabit, quædam de Hæmorrhoidibus in genere, aliisque hujus generis, Hæmorrhagiis, præmonere, potisſimum, quoniam hæc Materia, teſte celeberr. Stahliô, rara admodum eſt, prout in Diſſert. de Pathol. Podagr. p. 24. conqueritur his verbis: Admiratu non indi-

gnum eſt, quamobrem Hæmorrhoidum Hiſtoria adeò parum in Scholis medicis perpenſa, & aliquâ conſequentiâ digna judicata ſit, quam Admirationem ibid. p. 29. repetit. Primò notetur, Sermonem hîc non eſſe de Hæmorrhoidibus externis, coecis 5. furentibus; ſed de internis, apertis, atque fluentibus, quæ aut ſpontaneæ, vel minus tales; criticæ, aut ſymptomaticæ; moderatæ atque periodicæ; vel nimiæ, erraticæ, & quæ periodos non obſervant, exiſtunt. Sunt verò Hæmorrhoides apertæ ac fluentes, Germanis, der Fluß der güldnen Ader, nihil aliud, quam Hæmorrhagia, ſive Excretio Sangvinis, ex Inteſtino recto, vel potius, ex Vaſis hæmorrhoidalibus internis, utpote quæ dictum Inteſtinum ingrediuntur, proveniens: Viris, præ Fœminis, familiares magis; quamvis nec hæ,

ab

ab hôc Fluore cruento, omninò immunes ſint, inprimis hypochondriacæ, in quibus aut Menſtruorum, per ætatem, ſive ex cauſa p. n. ſuppreſſorum, vicariæ deprehenduntur; aut etiam, his integris combinantur, horumque Fluxum ſequuntur, ut præter Autores varios, Experientia quotidiana docet.

Ætiologiam hujus Affectus, quod concernit, ſine dubio, ejus Cauſa materialis, eſt Sangvis, Liquor ille rubicundus, ex duplici ſucco conſtans, quorum primus eſt Serum, vel Lympha, alter Cruor ille, qui poſt Venæſectionem, coagulatus illi innatat, Venarum, Arteriarum, nec non Pororum Incola. Cauſa efficiens eſt ipſa Natura, hoc eſt, Principium movens & agens, certis utens conaminibus, & moliminibus, in Oeconomia animali, quibus mediantibus,

Sanitas & Vita Corporis humani, conſervari ac reſtaurari queat, quorum primarium eſt Motus, ſumma, princeps, & anima omnium Affectionum, Actionum & Effectuum, & quidem ratione Subjecti, in ſolidis, tonicus: in fluidis verò circulatorius; ratione Uſus atque Finis, ſecretorius & excretorius exiſtens. Motus hi finales occupati ſunt circa Secretionem, & Excretionem, Fluidorum tam ſuperfluorum, quam noxiorum: quarum gratiâ Organa adeò multifaria, colatoria ac depuratoria, ſecretoria, & excretoria, peculiari ac variâ diſpoſitione & figuratione, pro variis Humorum ſpeciebus ſegregandis, prædita, condidit. Cauſæ verò diſponentes, & occaſionales internæ ſunt: 1. Plethora, ſive Quantitas Sangvinis abundans, cujus Motus internus plerumque orgaſticus eſt: Licet verò ma-

gna

gna hujus Succi portio, præſertim Partis ſeroſæ, utpote quæ rubicundæ ſubſtantiam, mole & pondere longè ſuperat, quotidie per Cutis poros, mediante Tranſpiratione, partim ſenſibili, excernatur, quatenus horum Particulæ per continuam exagitationem volatiliſantur, ſubſtantiæ in Vaporem ſolubilis, & difflabilis exiſtunt, Corpusque noſtrum perſpirabile, atque poroſum eſt: imò Parti purpureæ, ſive Cruori, ſucceſſiva eveniat divulſio Mixtionis ſuæ, ab ipſo continuo motu proveniens, quô in diſcontinuatam conſiſtentiam extenuatur, & in Fœminis, propter Generationis opus, ſingulis Menſium ſpatiis, ſuperfluus Sangvis, cum Naturæ levamine, per Uteri venas ejiciatur; quæ velut naturalis, ordinaria & ſucceſſiva Sangvinis Conſumtio eſt: In multis tamen ſubjectis, potiſſimum Sexus

vi-

virilis, & plethoricis, neque hæc consumtio, neque hæ viæ, atque loca excretoria, sufficiunt pro desiderata Depletione, aut Imminutione, sed fabricat Natura insuper & alias adhuc Vias, atque loca, pro Sangvine, è Corpore, modô præternaturali, proscribendo, quanquam sæpe inconvenientia, & minus congrua, quatenus in electione loci & organi, non nunquam errat, nec non circa Motum, qui aut excedens, aut deficiens sæpè est. Testem hujus Erroris, habemus iterum laudatum Stahlium, in Dissert. de Naturæ Errorib. med. ubi inter alia in Pröem. sequentibus utitur Verbis: Natura á justo tramite, Motuum vitalium ordinariorum atque necessariorum, deflectere potest, quanquam paulò rarius id facit ac solet, frequentius tamen admittit, atque perpetrat. Ejusmodi viæ ac loca, sunt quidem di-

diversa atque multitaria, quatenus omnis Corporis nostri pars, pati potest præternaturalem sanguinis fluxum; potiora tamen existunt vel consveta, vel minus talia, ac insolita. Ad consveta in utroque Sexu, pertinent Nasus, per Nares; Pectus s. Thorax, per asperam Arteriam; Stomachus, per Gulam, aut Oesophagum; Alvus, per Intestina in genere; Anus veró, per Intestinum rectum; atque Renes, per Vesicam, & meatum urinarium, sangvinem emittentia. In minus consvetorum Catalogo, continentur plura, v. g. Oculi, Aures, Lingva, Uvula, Volæ Manus, Vertex, Pori universæ Cutis, Mammæ &c. Pertinet huc vicaria Plethoræ veræ, seu exquisitæ, hoc est, consvetudo evacuationum Sangvinis; quemadmodum enim non omnes Plethorici solennes ejusmodi experiuntur Hæmorrhagias, sed sine il-

illis vivunt; ita, qui artificialibus, arbitrariis, & ſæpè numerò quoque temerariis Sangvinis emiſſionibus, venæ ſectionibus nempe, aut Scarificationibus á multis Annis, aſſvefacti ſunt, poſtmodum verò has Ventilationes neglexerunt, hi facilè huic vel illi Hæmorrhagiæ, ſive per ſolitas, ſive per inſolitas vias metuendæ, anſam ſuppeditare valent, aut ad minimum talia incurrunt Pathemata, quæ ab eniſu, congeſtione & ſtagnatione expellendi pendent. Sic, ſi Menſes, Sexui fœmineo, etiam extra plethoram, familiares, tanquam Conſvetudo evacuationis ſangvinis menſtrui, non procedunt, Pathematibus nihilominus plethoricis iſtæ Fœminæ oppidò exponuntur. 2. Qualitas ſanguinis, atque Humorum reliquorum peccans & vitioſa, ſive ſimplex, ſive ex pluribus combinata, ſ. cacochymia, proque ratione

Di-

Diatheſeos, atque Conſtitutionis Corporis, Diætæ, & aliarum Circumſtantiarum, varians, pariter vias ejusmodi extraordinarias quærere, variasque Hæmorrhagias ſtruere valet. Præ aliis verò Acrimonia ſalino-ſulphurea, ſcorbutica, ſalſâ, corroſiva, aculeis ſuis vellicans ac rodens Vaſa Sangvifera, ex læſo aut impedito Organorum, Chyli- & Sangvificationi, eorumque depurationi dicatorum, ſeu colatoriorum, munere, atque eorundem atonia, oriunda, hoc præſtare apta eſt. Qualis enim Chylus, talis Sangvis, tales Spiritus. Qualis Sangvis, tale Menſtruum Ventriculi, quale hoc, talis iterum ille, hæc enim ſemper redeunt in circulum, ſeque mutuò vel conſervant, vel deſtruunt; & à ſana ratione alienum non eſt, quod Vitia Concoctionis & Digeſtionis, tam ad Qualitatis, quam Motus

Sangvinis naturalis, alterationem
concurrant. Salia præprimis, &
Acrimonias ſalſas, in Corporibu
cacochymicis generari, haud laten
diligentem Obſervatorem, nec
Medicis negligi poſſunt, non mi
nus, atque alia ex illis combinata
ut inde Serum ſæpè evadat acerri
mum & mordax, adeò, ut in ex
cluſione per Cutem, hanc variis in
locis, excoriatam reddidiſſe, &
moleſtisſimum ad ſcalpendum
perpetuò ſollicitantem pruritum
procreaſſe, Autores medici, atque
Experientia teſtentur. Huc ſpe
ctat 3. Diſpoſitio hæreditaria, non
raro enim Fluxus hic Familiis qui
busdam, harumve Individuis, ob
ſervatur hæreditarius, prout d
eo, atque furentibus, per experi
entiam notarunt Foreſtus atqu
Solenander. 4. Ætas quoqu
adæquata requiritur, nimirum
conſiſtentior; ad rariora enim pe
tine

tinet, quando juniores patiuntur Hæmorrhoides, quod in hæreditaria potissimum Dispositione observatur, ubi debitam anticipare Ætatem, vagæ tamen, atque errantis indolis, existere solent. Sicut nimirum Circulatio Sangvinis, omnibus ætatibus non est eadem, sed ratione hujus differt, quatenus in Juvenibus, & Viris floridioris ætatis, Sangvis celerius, & maximè in Partibus superioris regionis, circulatur ad Caput; in Viris autem, & ætatis consistentis & senilis, segnior Cruoris per Abdominis Viscera Motus existit: Ita quoque pro ratione harum Ætatum, variant ejusmodi Evacuationes hæmorrhagicæ, dum junioribus contingunt Hæmorrhagia Narium, Hæmoptyses, Vomitus cruenti; in Provectioribus è contrà & declivioribus, ejusmodi molimina Sangvinis, transeunt ad Partes inferio-

 res,

res, v. g. ad Viſcera Abdominis, &
Venam Portæ, &c. quò pertinen
Hæmorrhoidum Fluxus, atque
Mictus cruentus. 5. Tempera-
mentum huc pertinet cholerico-
melancholicum, quatenus Chole-
rici poſſident Sangvinem particu-
lis volatilibus ſulphureisque inſtru-
ctum, unde ad Hæmorrhagias æque
proni obſervantur, ſecus, ac puri
melancholici, quibus Habitus ſtri-
ctior, Sangvisque craſſus & ſpiſſu
eſt. Similiter 6. Conſtitutio Cor-
poris præternaturalis, ſeu diverſi
Morbi chronici, quâvis Sangvinis
acrimonia, diæreſin ſtruente, con-
juncti, quales ſunt Scorbutus, Ca-
tarrhi ſalſo acres, &c. tam Hæmor-
rhoides, quam alias Eruptione
cruentas, generare valent. Cau-
ſæ denique diſponentes occaſio-
nales externæ ſunt Res dictæ non
naturales, v. g. Aſſumta calidior
& acriora, omnis Motus exceſſivu

Con

Corporis, & Animi, ſive Animi Pathemata vehementia, cumprimis Ira, abuſus Aloëticorum, Myrrhatorum, & Purgantium fortiorum. Cuncta enim hæc, quantum in alterandis Corporibus valeant, neminem eſſe, exiſtimo, quem latere posſit. In ſpecie omnes intempeſtivi Animi Motus, ejus ſunt naturæ, indolisque, ut ſolidorum tonum, ac robur, quæ motum fluidorum dirigunt, aut nimiâ relaxatione, aut vehementiore conſtrictione pervertant, quare videmus in Praxi quotidie, Iram & Terrorem graviſſimarum Hæmorrhagiarum eſſe Productrices, ſunt verba Celeberr. Hofmanni, in Diſſert. de præcavend. Morb. & præmatur. Mort. p. 29. De Aloe, & ex ea paratis, obſervarunt practici, quod non tantum in illis, quibus Hæmorrhoides conſuetæ, fluorem earum moveant, ſed alios quoque,

eidem Excretioni minus asvetos, adhunc disponat, ita, ut repetitus eorum Usus frequentius ardorem ac Tumorem Ani excitet, antequam Fluxus sequatur, adeò, ut, annotante Fonseca, ex centenis Pilulis aloëticis frequentius utentibus, nonaginta Hæmorrhoidum fluxu laborent: qualem Abusum pariter Aloes, inter Causas refert, cur Venetiis, Patavii, aliisque Italiæ Locis, adeò frequens ille sit.

Quoniam verò Hæmorrhagia aut Sangvinis Profluvium, absque Apertura Vasorum sangviferorum fieri nequit, duæ præprimis recensentur Species, seu Modi, quibus Natura ad hoc Opus utitur: Nimirum Sangvis Plethonicorum copiâ suâ, Vasa nimis distendens, illiusque Motus orgasticus, pari Anastomosin, hoc est, immodicam extremitatum Vasorum Apertionem & Reserationem; Acri

moni

monia verò Humorum gignit Diæresin, sive Vasorum solutam unitatem, specialiter illam, quæ ab erosione dependet, sive Diabrosin. Hôc pactô, tam Quantitas Sangvinis superflua, quam Qualitas ejusdem vitiosa, excernitur è Corpore. Quomodo comparati esse debeant ejusmodi Motus Naturæ & Excretiones hæmorrhagicæ, sicubi non nocere, sed prodesse debuerint, infra dicetur. Occurrit jam Quæstio: quorsum apud eos tendat tum Sangvinis Superfluitas, cum vitiosa Qualitas, qui nunquam Hæmorrhagiam ullam, aut Profluvium Sangvinis experiuntur? Resp. locò hujus, variæ Stases atque Stagnationes, Inflammationes, Spasmi, atque Dolores, Cephalalgiæ, Ophtalmiæ, Odontalgiæ, Erysipelata, Anginæ, Asthmata spasmodica, Pleuritides & Peripnevmoniæ, Rheumata circa Collum, Hume-

ros, Scapulas, Arthritides vagæ, Passiones hypochondriacæ, Nephritides, Hæmorrhoides cœcæ, Tumores ficales, verrucales, Varices, Podagra, & alia ejusmodi Pathemata, utpote Hæmorrhagiarum proxima soboles, ultrò generantur, quibus per Sangvinis Ventilationes, & alia Remedia, obviam ire licet.

Ex modò dictis satis liquet, Fluxum Hæmorrhoidum nihil aliud esse, quam Motum, atque Conatum Naturæ, quô Sangvis, Quantitate & Qualitate peccans, bona intentione, conservandæ videlicet Sanitatis gratiâ, è Corpore proscribitur. Sed alia in promptu est Quæstio: An Fluxus hic Excretio naturalis, an verò præternaturalis sit? Siquidem à nonnullis ad Evacuationum naturalium, v. g. Fluxus menstrui, & Lochiorum muliebrium Classem refertur, adeoque

pro

pro naturali, haud verò pro ſpecie Hæmorrhagiæ, quæ Res p. n. eſt, ab ipſis habetur. Verum enim verò, pariter, quemadmodum Hæmorrhagiæ ex Naribus, Pectore, Ventriculo, Renibus, & aliis locis, utpote quarum quædam, à nonnullis, æquè cum euphoria, & diu tolerantur, quod inferius per Exempla aliquot probatur, in Senſu medico & recepto, Excretiones naturales nec audiunt, nec ſunt, quamvis à Naturâ producantur; eâdem ratione & hic Fluxus talis minimè nuncupari poteſt, ſed eſt præternaturalis, confirmante hoc Sennertô L. 3. Prax. c. 13. his verbis: quanquam Hæmorrhoides, cum moderatè fluunt, utiles ſunt, & à multis Morbis præſervant: tamen Humor, qui ad excretionem Naturam ſtimulat, naturali modô ſe non habet, neque Sangvis unquam, niſi in Foeminis, ſecundum naturam

 ex-

excernitur; unde ſolus Fluxus mulierum menſtruus, atque Lochiorum, pro ſangvineo naturali, reputandus eſt. Terminus à quo, hujus Fluxus, à Veteribus derivatur ex Liene, quem pro communi receptaculo Succi melancholici, & feculenti, hîc ſuppoſiti, habent: perſvaſum enim ipſis erat, ab hoc Viſcere iſtum attrahi, in eo colligi, hinc in Vaſa hæmorrhoidalia deponi, & per inteſtinum rectum excerni; Recentiores verò præteritii Seculi, Vaſa hæc, nec cum vena ſplenica, neque cum Liene, communicare, ſed ex Ramo meſenterico, ſeu Portæ prodire, adſtruentes, aſſertum hoc rejecerunt. Nihilominus hodie alii ſtatuere non dubitant, quod Vaſorum dictorum rami, etiam cum capaci Splenico, & eô mediante, cum ipſo Liene, omninò communicent, atque, non quidem ex Veterum Hypotheſi,

thefi, Succum melancholicum, verum Sangvinem, quem capiunt, ab Arteriæ non ſolum meſentericæ, ſ. Portæ, propaginibus; ſed etiam mediantibus his, á nominato viſcere, ſ. Liene, aliisque Partibus, quæcunque Sangvinem in dictam Arteriam mittunt, petant, in interiorem Inteſtini recti canalem, hujusque interiorem tunicam progredientes, deducant, & ſic porrò è Corpore eliminent: Lienem interim à dicto munere, aut officio, jamdudum abſolutum eſſe perhibentes. Movent hîc quidam hanc Quæſtionem: Quomodo Humorum, Fluxum hunc conſtituentium vitioſorum, Secretio ita fieri posſit, ut illi præcisè per hæc, non per alia Vaſa, excernantur? pro Reſponſione autem inſervire poteſt, quod, quemadmodum Humor hujus Fluxus, non ſemper mixtum impurum, neque alius,

à

à reliquo in Corpore Sangvine, id est, non craſſior, ſeu crudior, aut feculentior eſt; ita probatione adhuc indigeat, Impuritatem Sangvinis ſolum per hæc, non item per alia vaſa, excerni, quoniam, ceu ex ſuperioribus patet, Molimen Naturæ, ad alia quoque Loca inclinat atque tendit; quamvis non negandum, in Ætate conſiſtente illud magis inferiora, quam ſuperiora, petere.

Uſus ſeu Commodum, cunctarum recenſitarum Hæmorrhagiarum, moderatè fluentium, in eo conſiſtit, ut Sangvis, quantitate nimiâ, & qualitate vitiosâ, peccans, eliminetur. Quando nimirum Humorum laudabilium, & vitalis Undæ, in nobis excedit Quantitas, ut exinde Viribus noſtris, atque Valetudini, Damnum immineat, ſpontaneæ Sangvinis excretiones utiles ſunt, utpote per quas, Natura

ra nimium ſibi inimicum, ſalubri eventu, per conſuetas, interdum etiam inconſuetas vias, expellit, eôque ipsô, varia Plethoræ incommoda, amolitur & præcavet. Id quod in Hæmorrhagiis diverſis, indies obſervare licet, quæ excludendo illud, quod copiâ alias Corpus gravaret, morbosque ipſi pareret, ejusdem non ſolum denſitatem, Rupturam Vaſorum, & id genus alia metuenda, avertunt, verum, longiori etiam ſic agendæ Vitæ, utilem anſam ſuppeditant. Ubi notandum, unam Speciem, præ altera, id plus, minusve præſtare, prout nimirum Qualitas iſtius Profluvii, Locus, Organa, Viæ, atque Tolerantia Naturæ, conſtituta ſunt. Confirmant id Exempla à diverſis notata: Sic Pechlinus L. 1. Obſ. 9. duorum Exemplorum meminit, quorum unum eſt Viri, frequenti & periodicô Narium Stillicidiô,

licidiô, ad decrepitam ætatem provecti; alterum itidem valdè ſenis, qui ex deficiente tandem Sangvinis, ex Salvatellæ aliquo ramo, Profluvio, pronam ad Morbos Conſtitutionem incurrit. Hæmoptyſes è medio tollunt multos, quibusdam etiam ſalutem afferunt, id quod in proprio Corpore expertus Ludov. Duretus, in Comment. ſuper Coac. Hippocr. aph. 46. aliisque accidit, prout Rhodius C. 2. Obſ. 30. Tulp. L. 2. Obs. 11. & alii perhibent. Sic Hæmoptyſin menſtruam innoxiè ferre quasdam Mulieres Petr. Sal. Diverſus, Comment. in Hippocr. egregiè annotat, dum laudabilis habitus Mulieres, tempore Menſium, proportionatam Menſibus, Sangvinis quantitatem, per Tusſim excreare ſe obſervaſſe, ſcribit. Quemadmodum idem Sangvis menſtruus, per alia quoque loca, ab

aliis

aliis Mulieribus, cum euphoria excernitur, de quo Riverius C. 2. Obſ. 63. Timæus, L. 4. Caſ. 12. Pechlinus, L. 1. Obſ. 38. & alii legi merentur, ubi modò per hiantem Mammarum Cancrum, aut earum foramina, modò per anacatharſin, modò per Vulnus in manu, modò per Vomitum, Evacuationem menſtruam feliciter contigiſſe, annotatum reperitur. Et notatu digna ſunt, quæ de Fœmina, per verticem, & alia, per manum dextram vulneratam, itidem menſtruata, Kerkring. Obſ. 86. item de facto, per Veſicam urinariam, muliebri effluvio, Bartholinus de inſolit. Part. Viis, memoriâ prodiderunt. Et quid notius, quam Narium Hæmorrhagiam, Cephalalgiâ laborantibus, ſurdis, vertiginoſis, imò febricitantibus, Opem, à nullo alias Remedio expectandam, tuliſſe? Sic novi Ma-

tro-

tronam nobilem, quæ, quoties gravida erat, Hæmorrhagiam notabilem per aures, patiebatur, citra ullam noxam. Nec minoris hîc efficaciæ, sed utilissimum esse in plurimis Subjectis Hæmorrhoidum Fluxum, fatentur, qui vel aliquâ medicæ Artis peritiâ sunt imbuti, utpote quibus Natura mirabiliter succurrit iis, qui ob Motum Sangvinis & Humorum, in Vasis, legitimô modô non constitutum, noxiamque Qualitatem, magnorum Morborum periculo expositi sunt, modò moderatæ atque periodicæ sint. Usus in eo consistit, quod Hominem à multis Morbis præservet, & à præsentibus liberet, juxtà allegatum Sennertum, loc. cit. Cui subscribit Hildanus in suis Observat. p. 645. dicens: Ego sincere adscribere possum, experientiâ me comprobasse, eos rarissimè Apoplexiâ, Epilepsia, aut Vertigine,

&

& oculorum Inflammationibus, corruptos fuiſſe, quibus Hæmor-rhoides fluebant: quid plura? aper-tione harum Venarum, graviſſi-mos ſanatos fuiſſe morbos, & in aliis, & in memet ipſo expertus ſum. Nec minorem laudem ipſe Hippocrates illis tribuit, v. g. quan-do L. 6. Aph. 11. ait: Melancholi-cis & Nephriticis Hæmorrhoides ſupervenientes bonæ ſunt. Et Aph. 12. Si quis Hæmorrhoides diuturnas ſiſtere velit, niſi unà flue-re ſinatur, Hydropis vel Tabis me-tum adfert. Et Aph. 21. Inſanien-tibus, ſi Varices ſuperveniant, aut Hæmorrhoides, Inſaniam ſol-vunt.

Uti verò Profluvii hujus, rectè ſe habentis, adeò certa, indubiæque veritatis, eſt Salubritas; ita, ſi ſo-lennes ejusmodi, & conſuetæ Sangvinis excretiones cohibitæ ſunt, quantum damni, & quam

ſævisſima Symptomata ſuſciten
quotidianâ addiſcitur experienti
Impeditô enim hôc, laudabiliqu
Naturæ conatu ſic turbato, quo
fieri notamus, quando iſte non ri
tè obſervatur, Diæta legitima in
termittitur, ac fortè præpoſten
Medicatio inſtituitur, in ſpecie ve
rò, Remedia adſtringentia incon
ſultò uſurpantur, nec minus An
mi Pathemata, Terror, Curæ, Me
lancholia, &c. utramque faciun
paginam. Varii tunc cooriuntu
Morbi, atque Symptomata, Spa
mi, Dolores, Inflammationes, Tu
mores, Humorum Congeſtione
vel planè irregulares Sangvinis E
cretiones, atque præternatural
ad alia loca, Translationes, im
Mors; quando enim conſueta vi
tali Hæmorrhagiæ denegata e
Sangvis tunc aliam quærit, & ex
tum priori ſæpè funeſtiorem
Quod, ut primò per Hæmorrho
d

des probem: Natura hîc in electi-
one Loci atque Organi, non rarò
graviter errare ſolet, dum v. g. locò
Ani, Pectus, aut Thoracem ſubſti-
tuit. Quanquam enim Hæmo-
ptyſis quibusdam nihil nocu-
menti attulerit, id tamen non eſt
perpetuum, ſed res periculi plena,
quam pauciſſimi diu impunè per-
ferunt, cujus Periculi veritatem
colligere licet inde, quod nulla Hæ-
morrhagiarum, ex quacunque
Corporis Parte procedat, pericu-
loſior, & curatu difficilior exiſtat,
quàm illa, quæ fit ex Pulmonibus,
adeò teneræ ſtructuræ exiſtentibus,
ut nullum Viſcus difficiliùs reſarci-
ri poſſe credamus, propter conti-
nuum, in quo ii conſtituti ſunt,
Motum. Per Reſpirationem enim,
ferè ne momentum quidem ceſ-
ſantem, Veſiculæ pulmonales,
unà cum Vaſis pulmonalibus in-
terpoſitis, conquaſſantur & con-

 cu-

cutiuntur, ut ferè impoſſibile, au
ad minimùm, conceptu difficilli-
mum ſit, quomodo læſionis ha-
rum partium, conſtans conſolida-
tio ſperari posſit. Quodſi verò
Sangvinis Affluxus, ad Pulmone
tantus fuerit, ut iſte horum ſub-
ſtantiam perrumpat, atque Cavi-
tatem Thoracis, hanc vel illam
impleat, uti in noſtro Caſu, ſequi-
tur totalis Suffocatio, & repenti-
na Mors. Tendunt etiam ejus-
modi Fluxus ſangvinei, nonnun-
quam in Stomachum, & cauſan-
tur Vomitum cruentum. Nov
Virum generoſum, à longo tem-
pore, tàm propter malam Confor-
mationem Oſſis Sterni, quàm ol
Hæmorrhoides, in Vomitum cru-
entum mutatas, Valetudinarium
quæ Mutatio poſt Febrium arden-
tium invaſionem, quam in itine-
ribus perpeſſus fuerat, ipſi contigit
ita, ut poſtmodum quartaliter, ſi

vè ſingulis quatuor Septimanis, Paroxyſmus recurreret, cum conjuncta Reſpiratione difficili, atque Obſtructione Ramificationum aſperæ Arteriæ, quas cumprimis Vere & Autumnô ſenſibiliter perceperat. Acceſſit præterea Calculus quoque Renum & Veſicæ, quales diverſæ magnitudinis excreverat. Tandem uterque Affectus, Calculus nempe, & Vomitus cruentus, illum conjunctim infeſtarunt, tàm atrociter, ut, quamvis iſte expulſus eſſet, Vomitus ſangvineus nihilominus adeò ſævierit, ut vires vitales, atque ipſam Animam exſpiraret. Aut ad Renes devolvuntur, locum non minus periculoſum, quàm inconvenientem, quos Mictus cruentus, Hectica, aut Calculus, comitantur. Aut tranſeunt in Inteſtina reliqua, unde Fluxus epaticus, aut ejusmodi Dejectiones cruentæ aliæ, poſt-

modum oriuntur. Si Podagricis accidit Hæmorrhoidum Suppressio, major tunc Fluxio in articulos irruit, teste Foresto, L. 1. Obs. 29. conf. ejusdem Obs. 4. citati Libri, unde Malum sine dubio exacerbatur. Petr. Monavius à suppressis Hæmorrhoidibus, in Arthritidem laboriosam incidit, prout in Epist: ad Cratonem 236. testatur. Sicubi porrò Sangvis per venas Ani elabi conans, intercipitur, sub Stagnatione hac diuturniore grumescit, perinde ac in Varicibus iste nonnihil condensatur, sub nomine Hæmorrhoidum cœcarum, quæ venæ tunc in Tumorem, cum Dolore summo elevantur, atque ista Tubercula in capitulis harum venarum modò dura & verrucarum instar, modò mollia, modò purpurea, & Uvæ granis similia, in conspectum veniunt, & nisi tempestivè succurratur, graviora minan-

tur:

tur Symptomata, ut Inflammationem, Apoſtema vel Ulcus fiſtuloſum, Gangrænam, Convulſiones, imò Epilepſiam. Suppreſſionem Menſium, Sexui fœmineo eſſe funeſtam, imò non rarò Malum ſonticum quotidiana confirmat experientia, cumprimis, ſicubi in Hæmoptyſin converſa fuerit. Licet enim, prout ſuperius innui, nonnullæ hanc ad tempus tolerarint, dantur tamen aliæ, quæ illam Translationem, atque Mutationem, ſuſtinere valent minimè, prout ipſe quasdam novi, quæ libram unam, & ultra, Sangvinis grumoſi, pro vice, locò Menſium ſuperius excreverunt, cum magno virium diſpendio, variis Symptomatibus, Mortisque metu. Utut enim non omnibus; plurimis tamen, Sangvinis per ſuperiora eruptio, calamitoſa eſt, juxta pronunciatum Hippocratis, L. 4. Aph. 25. Ratio Reſtri-

 ctionis,

ctionis, Regurgitationis, & Translationis hæmorrhagicæ, ad alia loca & vaſa, hæc eſt: Cogitur Sangvis ad alia vaſa, eaque jam undiquaque repleta, infarcit, ut parietes illorum hanc Diſtenſionem ſuſtinendo impares, Divulſionem tunicarum tenuium, in Vaſorum extremitatibus, patiantur, atque is Perruptionem quandam inferat atque inſtituat.

Solennes igitur ejusmodi Evacuationes Sangvinis, in Conſuetis, continuari quidem debent, ſint tamen, quod itidem notandum eſt, periodicæ atque moderatæ; exulent è contrà omnes nimiæ, exceſſivæ, atque mediocritatem excedentes, utpote quæ non minus vim Sanitati & vitæ inferunt. Notum quippe eſt, Sangvinem Theſaurum Vitæ, imò, elogiô Sacræ Scripturæ, Animæ Sedem, atque Autorem reliquorum Humorum, & Partem, prin-

principalem eſſe. Quodſi igitur ille prodigè nimis perditur, vires unà vitales exhauriuntur, quam jacturam horrenda ac periculoſa excipiunt Symptomata, ut Faciei ac Labiorum Pallor ac Diſcoloratio, Artuum Refrigeratio & Tremor, cum Sudore frigido, Anxietas Præcordiorum, Scotomia, Animi Deliquium, Singultus, & convulſivi totius Corporis Motus utplurimum lethales. Imò, licet convenientium Remediorum ope, antequam graviora hæc superveniant ſymptomata, coercere vales Fluxum, liberas quidem à præſentaneo Vitæ periculo, ægrum, ſed non à Langvore ſummo, Appetitus & primæ Digeſtionis, Proſtratione totali, Cachexia, & Hydrope, quibus nihilominus poſtmodum obnoxius erit. Contingunt ejusmodi nimii Fluores, tàm Hæmorrhoidum, quàm Menſium, atque

Lochiorum, & provocantur itidem à malo administrato Diætæ Regimine, Abusu Vini generosioris, Motibus corporis excessivis, nec non enormibus, atque intempestivis Animi Affectibus, ut Ira &c. qui, ubi metus Hæmorrhagiarum adest, magnâ curâ, opereque meritò fugiendi sunt. Nonnunquam ab ipsa gignuntur Natura, uti superius dictum, non solùm, quando Humor retinendus excernitur, quamvis non adsit bona Tolerantia, aut Conferentia, sed quoque, quando, qui excerni debet, efferô nimis, & concitatô motu, atque in Locis minùs commodis, aut tutis evacuatur. Hinc semper Motus Naturæ probè considerandi sunt, quoad Qualitatem, Conferentiam, & facilem Tolerantiam; hæc enim, quàm necessaria in cognoscendis, dijudicandisque Affectibus sint, Hippocrates ali-

quot

quot inculcavit Aphoriſmis, conſulendusque eſt Medicus prudens, qui non ſolùm ſuppreſſas Evacuationes reſtituat, ſed & nimias, quas molitur Natura, atque inconvenientes, impediat, & providè compeſcat, aut aliam viam, Corpus ab illis liberandi, eligat.

Solvenda denique eſt illa Quæſtio: An è re ægri, Fluxu Hæmorrhoidum, utpote præternaturali, atque moleſtô, laborantis ſit, ut eundem, Regimine Diætæ, vel Venæ ſectione, vel aliis Remediis, ſine metu alius Damni, extirpet atque eradicet? Ad quæ regero, quodſi Affectus recens, nec inveteratus fuerit, hanc Curam locum habere poſſe, ita tamen, ut & exacta Diæta obſervetur, & concurrens Humorum acrimonia tèmpeſtivè corrigatur, ne gravius poſt ſe trahat Malum; Affectum è contrà radicatum, & per plures annos inve-

veteratum, iſtam minimè omnium indicare, ſed locum hîc habere Prognoſin illam Hippocraticam, quam ſuperius ex L. 6 aphor. 12. allegavi. Quò enim Natura vergit, eò ducito, & dici nequit, quam ægrè eadem, turbationem Actionum ſuarum ferat, quibus aliquamdiu aſſveta eſt, ut per easdem, vel univerſum Corpus, vel unam ſaltem, atque alteram Partem, à materia jam dudum deleteria, vel tali aliquando futura, liberet. Quamvis enim ejusmodi Molimina Naturæ, ſubinde cum totius Machinæ Commotione, aut certæ alicujus regionis, evacuationem ſuſtinentis, Læſione, inſtituantur, haud tamen ipſa de via ſemel inita, deflectit, niſi vel à nova emergente Cauſa morbifica, vel Affectibus Animi gravioribus ab inſtituto ſuo retrahatur, aut materia irritans, per certa Remedia, ipſi ſubducatur.

Sem-

Semper enim, manente eô, quod excretioni destinatum est, vel novos exitus, antiquis sæpe numerò pejores, quærit, & materiam peccantem, ab externis, & ignobilioribus Partibus, ad internas, nobilioresque trudit: vel quasi dementata, etiam bonos Humores in excrementa convertit; ut Corpus, modò lentâ Tabe consumatur, modò Mors, ex tumultu & confusione Humorum inemendabili sequatur. In specie, ex hoc Affectu inconsultò suppresso, Translationes ad Emunctoria incongrua, Viscerum Oppressiones, Cachexiæ, Hydrops, & Hectica promptè oriri queunt. Nihil itaque agi hîc potest, aut debet, nisi ut Fluxus, si adfuerit, nimius, non supprimatur, verùm temperetur, ac mitigetur. De coetero, muniat se Patiens Patientiâ, ac Tolerantiâ, nec animadvertat tædium, aut molestiam hu-

jus

jus Excretionis, quorum intuitu non die gùldne, ſed, die bleyerne Ader, quispiam illam vocavit; ſufficit, quod ſecundum naturam ſeſe habens, meritò venæ aureæ Titulum mereatur.

Quantum itaque Caſum allegatum attinet, tàm Defuncti ætas, quàm Temperamentum, atque Conſtitutio Corporis, ſic ſe habuerunt, ut Hæmorrhoides internæ, ſive fluentes, ſpontaneæ, criticæ atque periodicæ, locum pariter invenire potuerint. Ætas aderat illa, in qua Molimen hæmorrhagicum magis inferiores, quam ſuperiores Corporis Partes reſpicere ſolet, quemadmodum & hic, in Vaſa hæmorrhoidalia, exitum ſumpſerat. Erat porrò Scorbuticus, atque Hypochondriacus: hi Affectus, non tantum, ut Cauſa p. n. Fluxum illum produxerunt; verum, dudum anteà, totum Corpus

red-

reddidere morbosum. Scorbutus, de quo nonnulla in genere prælibare placet, ut rem brevibus comprehendam, nihil aliud est, quam Dyscrasia, & Corruptio Seri, imò totius Massæ sangvineæ, proximè ab insigni ejus acrimonia, sive permultis Heterogeneitatibus, s. Inquinamentis salsis; remotè verò, ab Atonia Organorum colatoriorum, depuratoriorum, atque emunctoriorum, dum Munus suum sequestrativum, aut propter Obstructionem, aut aliam Causam, nullatenus ritè expediunt, proveniens. Heterogeneitates dictas salsas, pro fundamento habere Salia morbosa fixa, tàm Sangvini, quam Fibris firmius inhærentia, suâque acrimoniâ, Partes Corporis, ad quas cum Sero feruntur, variò modô lædentia, hujus, inter alia, Probatio desumitur à juvantibus illis antiscorbuticis, Vegetabilibus

bilibus ſpecificis, quæ Sale volatili abundant, quales ſunt Cochlearia, Naſturtium aquaticum, Rad. Armoraciæ, Trifolium fibrinum &c. quorum providus Uſus & Dotes, communi Medicorum ſententiâ, Experientiâque, hactenus confirmatæ ſunt. Juxtà Axioma enim Chymicorum: Fixum, à volatili, reddi poſſe volatile, quod exemplò Salis armoniaci patet, cujus additione, Corpora fixa poſſunt ſublimari, & volatilia fieri; eâdem ratione, volatile Herbarum antiſcorbuticarum, calore noſtrô, actuatum, aliquid de fixo morboſo, movere poteſt, quò facilius dehinc, è Corpore, ſive per lotium, ſive per Sudorem excerni poterit. Probat etiam illud Abuſus Salis eſculenti, Salſorum & Salitorum, è fixorum proſapia, Scorbutum generantium oriundorum; unde Becherus in Phyſ. ſubterr. L. 1. S. 5.

c. 1. Qui Sale nimio, inquit, ves-
cuntur, ſalſis Catarrhis, Scabie,
Scorbutô, & Leprâ tandem ve-
xantur, quòd nimius Salis uſus
Corpus putreſcere faciat, ſicut mo-
dicus à putredine præſervat. Ha-
bet autem Morbus hic ſuos gradus,
hoc eſt, differt gradualiter, ſeque
variis aliis admiſcet Affectibus; &
cumprimis aſſecla Mali hypo-
chondriaci, atque fidus quaſi Acha-
tes vocatur, quatenus adeò ami-
cabilem, hi duo Affectus, fovere
videntur conſpirationem, ut rarò
alter absque altero, affligat Corpus
humanum. Notabilis tamen Dif-
ferentia eſt Scorbuti, ſtrictè ſic di-
cti, & illius, qui cum Affectu hypo-
chondriaco, aut melancholico,
&c. conjunctus eſt, ubi ſine dubio,
mitior ejus gradus adeſt, atque do-
minatur; cùm in ſtrictè ſic dicto,
ſive vero, præter Symptomata, in

D Hiſto-

Hiſtoria, notata, plura adhuc, &
graviora, comitantia habeat hoc
Malum, ut ſunt: Gingivarum &
Tonſillarum Tumor, Laxitas, Ero-
ſiones, & Hæmorrhagiæ, Dentium
mobilitas, Faucium putredo &
corruptio, Ptyaliſmus moleſtiſſi-
mus, Saliva fœtida, Exulceratio
cutis, & ulcera, præſertim in tibiis
cacoëthea, Maculæ in Artubus li-
vidæ, verbô, adeſt hîc corruptio
Sangvinis, & ſeri, ulceroſo-putre-
dinoſa. Imò nonnulli, Statum
Humorum ſcorbuticorum, atque
hypochondriacorum, & inde na-
tos Spaſmos, planè diſtingvunt, &
pro valdè diſcrepantibus habent:
cum quibus non litigabo. De di-
cti verò Morbi, veritate, & exi-
ſtentia, dubitare non poſſumus, ſe-
cus, quam alii, qui inter Non-en-
tia illum referre, èque Morborum
numero tollere, aut ad minimum

eum

eundem pro novo, & Veteribus ignoto Affectu, reputare non dubitant; ejus veram Exiſtentiam non ſolùm experientiſſimorum Medicorum, Sennerti, Langii, Martini, Foreſti, Horſtii, & aliorum Scripta, ſed etiam quotidiana Experientia, tàm in noſtris, quàm ſeptentrionalibus Regionibus, ubi Aër dominatur frigidus, humidus, & ſalſis exhalationibus Maris, inquinatus, locupletiſſimè teſtantur. Veteribus verò etiam cognitum fuiſſe, quamvis non ſub hoc, ſed alio nomine, ab iis notatum & deſcriptum, perhibet Möllenbroccius, Tr. de Varen. Qui antiquum, dicens, nunc Morbum ſtatuunt, vera dicere nobis videntur, cùm in Natura nihil ἄτακτον & ἀόρατων ſit, nec unquam Cauſæ, Scorbutum excitantes, Terris quibusdam, aut Hominibus defuerint.

Verosimilem pariter, Mali hypochondriaci, indolem, succinctè describturus, præmonere conveniet, quòd, sicut hujus Subjectum Denominationis, Hypochondria existunt; ita Inhæsionis, Partes quædam in illis determinatæ sint. Nempe in Hypochondriis præcipuè continentur Ventriculus, Intestina, Mesenterium, Jecur, Lien, Musculi & Vasa: magna igitur, inter Autores, exoritur Controversia, de proprio, hujus Affectus, constituendo Subjecto, dum alii hanc, alii aliam partem, aut Viscus accusant. Me judice, illi non errant, qui hunc Affectum Congeriem s. Concursum, plurium Symptomatum, esse, perhibent: quæ natales suos, non uni; sed, si non cunctis recensitis; aliquot tamen partibus ac visceribus, atoniâ vel aliô modô, laborantibus, de-

bent

bent, quare non ineptè iſte à quibusdam, lerna malorum nuncupatur; imò, ubi Melancholia hypochondriaca concurrit, atque altas egit radices, Freitagius in Tr. de ea, peculiaribus utitur Nomenclaturis, quibus eam ſufficienter depingere, atque exprimere, operoſus eſt, dicens: Sie wäre eine Badſtube des Teuffels, ein Wetter-Han, Proteus und triceps Geryon, weil ſie aller Kranckheiten Natur und Art an ſich nimmt, bald unten, bald oben liegt, bald Freund, bald Feind ſich ſtellt, bald weicht, bald wieder kömmt, und in Summa, ſehr wiederſpenſtig, unbändig und hartnäckigt iſt. Læſam Chyli- & Sangvificationem, eorumque Depurationem, & Diſtributionem à quâcunque cauſa dependentes, multum hîc, imò utramque paginam, facere, vel inde liquet, quod

 à

à cumulata humorum noxiorum, cruditatum nimirum acriorum, acidarum, nidoroſarum, & ſimilium; dehinc Sangvinis atque Seri, mole, & pondere, quodlibet viſcus, ſeorſim, ac peculiariter gravetur ac infeſtetur, v. g. Ventriculus, cujus capaciſſima pars, ſiniſtrum occupat latus, ſub Coſtis nothis, valdè inflatur, & diſtenditur, unde varia pathemata ſtomachica, v. g. Ructus, Cardialgiæ, Tumores, vel potius Inflationes, ſuboriuntur poſt paſtum, Diaphragmate in conſenſum eunte. Inteſtinum Colon, in dextro, & ſiniſtro Hypochondrio, latitans, propter flexuras; in ſpecie verò, ob Curvaturam, & peripheriam anguſtiorem, ſub ſiniſtro, Flatuum incarcerationem, mirasque hinc Inflationes, & Diſtenſiones patitur; unde Flatus, Tormina, Alvi Duri-

ties.

ties, & ſimilia gignuntur, quare quibusdam Morbus audit flatulentus. Menſenterium porrò, tàm propter copioſarum glandularum, quàm vaſorum notabilium ſangviferorum, ſtructuram, Obſtructionibus obnoxium eſſe, apud omnes conſtat, quæ vaſa interdum adeò inflantur, atque diſtenduntur, ut Inteſtinorum potius, quàm venarum ſpeciem præ ſe ferant; uti & hæmorrhoidales ramos adeò diſtenſos fuiſſe, ut pollicis craſſitiem æquarint, Veſalius memorat, imô Strumas in eo generatas, teſtatur Philipp ab Ingraſſia, L. I. c. I. de Tumorib. quarum circiter 70. præter glandulas, & tumores, externæ tunicæ adhærentes, deprehendit in Præfecto Urbis Neapolitanæ. In Liene verò, quoniam ex parenchymate valdè nervoſo, conſtat, ſicubi is ſentit

 acri-

acrimoniam, præcipuè ſcorbuti-
cam, oritur Dolor acutus, ex hoc
Spaſmus, ſive ſpaſmodica fibra-
rum, pororum, atque ſinuum Con-
tractio, inde verò Circulatio San-
gvinis, atque Humorum tranſitus
redditur difficilior, ex quorum con-
geſtione, & ſtaſi, poſtmodùm Di-
ſtenſiones ac Inflationes, nec non
grumoſitates imò Corruptiones
putredinoſæ, ultrò generantur.
Quales Congeſtiones & grumoſi-
tates etiam locum habent in hy-
pochondriacis, ſi Plethora ſimul
adeſt; ſangvis verò juſtò ſpiſſior
atque tenax, per Lienem, & Vaſa
meſenterica progredi nequit, &
vice versâ, ſi ſpiſſitudo Sangvinis
ex difficili ejus progreſſu, in Venam
Portæ, adfuerit, Ortum ſuum de-
bens habilitati mechanicæ hujus
venæ, cum annexis ſuis Viſceribus
ad producendum talem ſtatum

San-

Sangvinis: quemadmodum aliis quoque venis, per naturam, talis contigit conformatio, quæ ad ſtagnationem Sangvinis, præ aliis magis diſpoſita videtur, v. g. venis Crurum, quas frequentiùs in varices explicari, notum eſt; Porrò, ſi Menſes aut Lochia, aut in Viris, Hæmorrhoides ſupprimantur, nec rectè procedant; quarum poſtremarum intuitu, pariter venæ ſedalis ſitus perpendicularis, ſeu aſcenſus à podice, verſus communem alveum, conſiderari meretur, quatenus per venam hanc, ad perpendiculum tardiùs, ac difficiliùs, ſine dubio, elevatur Sangvis, & ſic tubercula promptè generari valent hæmorrhoidalia. Verbô, in hôc Malo familiares ſunt Inflationes, Obſtructiones, atque Indurationes, inde verò varia propullulare Symptomata, quis non concedet,

 ſpaſ-

ſpasmodica, (unde nonnullis totæ Affectio audit ſpasmodica,) Dolores tenſivos, gravativos, pulſatorios, palpitatorios, Anxietates præcordiorum, Strangulationes, Suffocationes, Vertigines, Phantaſmata, Melancholiam, Somnos turbulentos &c. pro ratione Subjecti, ejusque Diatheſeos, ſive uti Freitagius loc. alleg. loquitur, Je mächtiger Potentat, ie gröſſer Comitat und Anhang. Non tamen, uti dictum, neceſſe eſt, ut omnes Partes ſimul afficiantur; ſed ſufficit, ſi duæ, aut tres laborent. Dum verò cuncta hæc, quæ dicta ſunt, in latere potiſſimum ſiniſtro, percipiuntur, propter Lienis, Stomachi ex parte, atque Inteſtini Coli, eô præcipuè locô, quô ſub Hypochondrio ſiniſtro, anguſtatur & incurvatur, Situm, ſiniſtram præprimis Regionem reſpicientem, facilè

cilè inde liquet Ratio, cur Hypochondriaci hypochondrium sinistrum, tanquam Partem affectam, digitò quasi monstrare solent.

Cùm igitur duo isthæc Mala, adeò diu, & per multos annos, divexarint Defunctum, facilè inde depravata ejusdem Corporis constitutio, & quàm pessimè se habuerit, colligi potest. Sicut verò Natura, si quidpiam sentit inimicum, pro more suo, omni modô, omni nisu hoc expellere conatur; ita hîc quoque in eundem finem, excitabat Fluxum hæmorrhoidalem. Medicamentorum equidem usum haud intermiserat, à quibus aliquale, non verò plenarium sensit levamen; sensibilius autem percepit, à Fluxu dicto conjuncto, utplurimùm moderato, rariùs nimiô, & excessivô. Sed non diu duravit hæc Felicitas, quoniam,

ægrotô parùm animadvertente: neque curante, ceſſavit illa Excretio, & ſimul iſthæc ad Salutem propenſio. An ſpontè emanſerit, quod Amici voluerunt, aut ex prægreſſa aliqua cauſa manifeſta, prava Diæta, graviori quodam Animi pathemate, aut intermiſſa, vel etiam præpoſtera Cura, ſuppreſſus potius fuerit iſte Fluxus, ob Symptomata jam lethalia, & agonizans ferè, certò exprimere non potuit. Qualem verò exitum ſuppreſſio hæc ſumpſerit, & quorſum iſte Humor delatus fuerit, memorat Hiſtoria, nempe ad locum excretorium alium, periculoſum non minùs, quàm incongruum, Pectus videlicet & Pulmones, ubi horum partem dextram eroſit, ſubſtantiam illius, dilacerando perrepſit, atque excretionem excitavit, non ſolùm præternaturalem, ſed & lethalem.

lem. Impetus equidem iſte, non mox à ſuppreſſione: verùm ſucceſſivè contigit. Quàm periculoſus locus prædictus Pulmonum ſit, ſuperius notatum fuit, teſtatur quoque Hiſtoria, quòd à ſuppreſſione, per intervalla, Tuſſim ſenſerit, quæ tamen cuncta neglexerat. Probabile itaque eſt, quoniam Molimen hoc hæmorrhagicum erroneum, atque Congeſtio ſangvinis hujus, ad hunc locum excretorium, Organumque inconveniens, Pulmones ſcilicet, tàm ad præſentem, atque hactenus collectam grumoſitatem, quàm futurum Fluorem, illic non ſolùm deponendum, verùm etiam ex iis excernendum, directum erat, non ſolùm motum orgaſticum reſerationem Vaſorum, ſed etiam Serum acre ſcorbuticum, imò corroſivum, eroſionem Spirularum, ſeu Cel-

Cellularum membranacearum, ex quibus totam Pulmonum ſubſtantiam, conflatam eſſe, conſtat, in Parte hac pulmonali, cauſatum fuiſſe, unde & Tusſis enata erat, per quam, ſine dubio, Sangvinem interdum, ſi non ex retenti Cruoris portione; tamen ex Pulmonibus ipſis, progredientem, exſpuiſſe ægrum, credibile pariter eſt. Poſtquam verò, & Læſio atque Corruptio partis Pulmonum dictæ, & Affluxus Sangvinis ſuppresſi, inque disſitis vaſis retenti, auctus, atque major factus fuit, hic in magna copia, partim, præcedente Tusſi gravisſimâ, per aſperam Arteriam, extra corpus; partim, per Pulmonem hunc corruptum, in proximam Thoracis cavitatem, prodiit atque erupit. Ante hanc Rejectionem, gravem, atque inſolitam ſenſerat Præcor-

diorum

diorum anxietatem, eſt ea Hæmoptyſeos Symptoma proprium, à compreſſione Pectoris ſpaſmodica; hæc verò à nimia ſangvinis, in hôc locô, Congeſtione, vaſorumque Diſtenſione, procedens. Quid igitur aliud, quàm repentina Virium vitalium jactura, Suffocatio totalis, atque Mors inevitabilis inſequi potuit? pari modô, ceu ex vaſorum Thoracis majorum, vulneribus, eadem cooriri ſolent. Ubi enim Organorum nobilium enormis Læſio, quibus ob Situs rationem, Locique diſtantiam, aut inconvenientiam, nullâ ope, nullâ arte, mederi, aut Remedia applicare licet, & Humorum ingens profuſio, præſertim in talibus locis, ex quibus illi vel ægrè, vel planè non eximi queunt, adeſt, ibi de ſimplici, & abſoluta lethalitate, nullum ſupereſt dubium.

Si

Si quoque, quod Autores obſervarunt, Scorbutus per ſe Hæmoptyſin ferè inſanabilem, atque hinc ſucceſſivam mortem, inferre aptus eſt, quidni, ſi cum Hæmorrhoidum ſuppreſſione, conjunctus fuerit?

Nemini propterea mirum videbitur, quòd per Excretionem ultimam, eamque validam, Sangvinem purè grumoſum, rejectum; illum nihilominùs, mediante tusſi, & ex Pulmone prodiiſſe, dixerim: cùm tamen Hippocrates L. 5. aphor. 13. & plures Autores alii, Sangvinem per tusſim & ex Pulmonibus excernendum, ſpumantem, ſeu ſpumoſum eſſe, aſſerant, minùs verò grumoſum, aut nigricantem, utpote talem, ſolùm in Vomitu cruento, ex ſtomacho, cum actuali motu ventriculi vomitorio, prodeuntem, rati.

Pri-

Primò enim avtopſia anatomi-
ca in Defuncto, nullam aliam Par-
tem affectam, atque exitum hujus
Sangvinis grumoſi, monſtravit,
quàm Pectus, circa partem Pul-
monum dextram; minimè verò
Stomachum, in quo ne veſtigium
ſangvinis talis, aut retenti, reper-
tum fuit. 2. Sententia illa Hip-
pocratis, & Autorum reliquorum,
exceptione indiget, quia ſimplici-
ter admitti nequit, ex Pulmonibus
ſemper, ac quovis tempore, San-
gvinem ſpumoſum, fluxilem &
exactè rubeſcentem; nunquam
verò grumoſum, atque coagula-
tum, ex iis, ſed ſolùm ex ſtomacho
prodire. Quamvis enim negari
nequeat, quòd Sangvini, in Pul-
mones, horumque cellulas ingre-
dienti, ad hoc opus idoneo, bene-
ficiô Aëris, ſive particularum ejus
elaſticarum, ſpumoſitas atque ra-

refactio imprimatur, utpote summ
mè necessaria, & Pulmonibus uti
que, tanquam Causæ instrumenta
li, originem suam debens, quar
ex Anatomia Animalium vivo
rum constat, sangvinem, ante
quam è ventriculo Cordis dextro
per arteriam pnevmonicam, Pul
monibus infertur, nigricantem, &
crassum existere; fluxilem verò &
rubescentem inde redire, quatenus
uti dictum, ab iis rubedinem &
exaltationem impetrat, & nisi e
perveniret, maneret nigricans
crassus, aut spissus. Quodsi ta
men, ceu Exempla testantur, &
noster loquitur Casus, Sangvis
jam antea planè ineptus, ex diu
turniore hinc inde, stasi, atqu
stagnatione, grumosus, imò coa
gulatus Pulmones intret, is profe
ctò, tanquam rarefactioni hui
impar, hanc non admittit, sec

ſi vel ab imis, & integerrimis Pulmonibus exſcreetur, in priori forma eliminabitur. Pariter, quando è ſummis Pulmonibus, Sangvis, quamvis limpidus, excutitur, haud tamen ſpumeſcet, cùm prius ejiciatur, quàm Aëris ſpirulas ingreſſus fuerit; è contrario, ſi viſcidior fuerit, modò ſe dividi patiatur, ſpumeſcens æquè prodire poteſt. Inprimis verò 3. ipſa hæc Pulmonum pars, atque Subſtantia, pariter à Corruptione, corroſa ac lacerata, ad functionem hanc perficiendam, inepta reddita fuit: hinc mirum non eſt, quòd Sangvinem talem, ubi vix admiſſus fuerat, iterum, partim in cavitatem proximam, partim per aſperam arteriam, eâ quâ ingreſſus erat, ſub forma, absque ullo Aëris, qui tamen eundem, ceu ineptum, corrigere non po-

 tuiſſet,

tuiſſet, Uſu, atque alterationi
foràs rejecerit.

Sangvinem verò, in Vaſis ſan
gviferis, à ſtaſi & ſtagnatione diu
turniore, in grumos, & coagu
lum concreſcere poſſe, Autore
pariter, atque Experientia evin
cunt. Sic Platerus Prax. Tom.
c. 14. à ſuppreſſione Evacuationi
Sangvinis, ſolenni, hunc Corall
rubri, vel albi adinſtar, congela
tum, in venis deprehendit, a
in tenacem, & velut in cuten
condenſatam materiam, exten
ſum, ex iisdem elicuit. Simili
congelati Sangvinis, qui Coral
liorum ramuſculos æmularetu
Borellus quoque meminit, C.
Obs. 28. Conf. ejusdem C.
Obſ. 93. & quæ ſuperiùs, occa
ſione peculiaris Conformationi
& habilitatis venarum nonnulla
rum

rum, quæ ad ſtagnationem Sangvinis præ aliis magis diſpoſitæ videntur, adducta ſunt. Inter reliquas Cauſas, hujus coagulum producentes, tres ſequentes non ultimô ponenda ſunt locô, Terror, Frigus externum, & Acidorum abuſus, dum v. g. à Terrore ejusmodi grumeſcentia, licet imperfecta contingit in Lipothymia & Syncope, inde natis, quod his correptorum Venæſectio, ubi Sangvis inſtar granorum milii, interdum prodiit, teſtatur. Ab exceſſivo Frigore, ſi extingvatur Calor inſitus, Sangvis in grumos cogitur, atque ſic ineptus redditur ad Circuitum, per poros Partium anguſtiores, & oſcula vaſorum ſangviferorum, modô ordinariô, & legitimô, continuandum, adeò, ut ex hoc fundamento, Pleuritidis, Peripnevmoniæ, atque Pleuro-

ropnevmoniæ Cauſam illam, quæ ex Aëre inſpirato nimis frigido derivatur, facilè comprehendere queamus. Acidorum abuſus, Sangvinem æquè, ac Lac coagulare, præter experientiam quotidianam, teſtantur Williſius, & Boyle: Ille enim in Pharm. rat. p. 182. expreſſè ait: crebrô tentamine didici, quod & aliorum experimenta confirmant, eosdem liquores, qui Lac præcipitant, uti Acetum, Spiritum vitrioli, ſalis, aut nitri dilutum, aliosque acidos, etiam Sangvini calenti affuſos, iſtum mox coagulare, & diſcolorare, ita, ut, cum tota maſſa nigreſceret, Portio una in placentam grumoſam, altera in ſerum tenue, & aquoſum abiret: hic verò idem perhibet in Apparat. ad Hiſtor. Sangv. Dum hæc ſcribo, occurrit Fœmina 40. annorum,

cui,

cui per Annos aliquot, Catamenia obſtructa erant, ante paucum verò tempus redierunt, ita, ut ſingulis diebus, Sangvis copioſus, utplurimùm à Retentione diuturna, coagulatus, atque congrumatus, ex Utero egrediatur.

Ejusmodi Sangvinem autem, licet antea in coagulum denſius, atque uniforme congelatum, in ipſo tamen Excretionis negotio, ſine dubio, in grumos, ſeu Particulas ejusmodi grumoſas, diſcontinuari, atque divelli, probabile eſt. Nec minùs iſtum ad Pulmones, & ſic porrò ad aſperæ Arteriæ ramificationes, tranſire poſſe, nullus dubitationi locus conceditur, dum idipſum pariter experientiâ confirmatum eſt; ſimili modò, ac materia purulenta, mucus tenax, & ſpiſſus, per eandem viam egre-

di ſolet. Sic à Sangvine craſſo & frigido, copiosè circa Cor & vaſa majora, congregato, cujus exitum natura fortè intendebat, Syncopem vidit Sal. Diverſ. L. de Affect. particul. c. 4. Talem Naturæ conatum atque potentiam, quâ uberrimè inſtructa eſt, obſervare licet, quando ea pro variis Rebus præternaturalibus educendis, vias non raro fabricat planè inſolitas, atque Anatomicis incognitas, v. g. quando Empyicorum pus, cum urina educit, qualia Exempla hinc inde occurrunt, v, Laurent. Hiſt. anat. L. 9. Qu. 12. item per Umbilicum, quale quid annotavit Tulpius, L. 2. c. 6. ut taceam alias vias, quibus non raro utitur in educendo ſangvine congrumato, poſt Caſum ab altò, item, ſi quæ inepta deglutita fuerint, e. g. aciculæ, quas pa-

pariter per urinam ejectas, Autores testantur. De cultris, clavis ferreis, & similibus, Consignata allegare, supervacaneum duco. Quidni igitur eadem viam inveniat excernendo Sangvini ejusmodi, suppresso ac retento, quamvis grumoso aut coagulato, tàm ordinariam, quàm extraordinariam?

In Abdomine, Ventriculi tunicæ interiores, quodammodò hinc inde, erant corosæ; Lienis verò corpus, cujus color ater fuit, totum existebat corruptum, putridâ intus infarctum materiâ. Corrosio tunicarum Ventriculi, qualiscunque fuerit, sine dubio, Humoribus acribus, corrosivis; inprimis autem sero, seu Menstruo stomachali, eâdem qualitate imbuto, natales suos debet. Lienis autem vitium, & plenari-

am Corruptionem, ex iis, quæ ſuperiùs, occaſione Mali hypochondriaci, de hoc Viſcere, allegata ſunt, quivis haud difficulter colligere poteſt. Dum enim illud, per adeò longum tempus, meras ſtaſes atque ſtagnationes Sangvinis, ex quibus, locò ſucci laudabilis, grumi atque grumoſitates generati fuere, perpeſſum fuit, quidni aliud, quàm putrida generari potuit materia? ejusmodi enim Cruoris, non eſt alia reflexio, quàm, quòd in vivente theca, ſit cadaver, variasque ſubeat mutationes, ut cum Helmontio loquar Tr. de Febr. c. 16. §. 15. Id quod & alia Sectio ſplenetici confirmat, Viri nimium ſexagenarii, melancholicæ Complexionis, & genii miri ac pertinacis, qui jam inde, dum viveret, ab adoleſcentia, de quadam circa Lienis regionem,

nem, moleſtia, & poſtremò per integrum annum, de Imbecillitate Corporis, Virium proſtratione, Atrophia, Abdominis miro ſtatu, Halitus fœtore, & Anorexia, conqueſtus fuit, Medicinam in uſum trahere nolens. Apertum Cadaver inter alia, circa Omentum notabilia, lienem quoque corruptum, putridum ac inprimis, fœtorem talem ſpirantem, monſtrabat, qui vix naribus ferri potuit. Ad præcavendum, & minuendum Lienis vitium, commendat Celſus laborem & exercitationem, quatenus illud, eôdem teſte, quiete augetur: videtur hujus Aſſerti ratio, præ aliis, conſiſtere in promovendo actu motorio Sangvinis, per hoc ipſum viſcus, quoniam is, eô orbatus, fit & evadit non tantùm in hoc, ſed & aliis Viſceribus, materia, at-

atque Subjectum Corruptionis putredinosæ, cui in propria ſua eſſentia, atque conſiſtentia, tota expoſita eſt, h. e. Sangvis eſt Humor, ad putredinem ſubeundam, aptisſimus; quæ Corruptio tamen motu reſolutoriô, ac depuratoriô, arcetur, atque præcavetur, ut & cuncta Symptomata ſpaſmodica inde nata. A mala Lienis diſpoſitione, aut ejus Facultate læſa, Scorbutum deduxere Veteres, unde Dodonæus: dominatu Scorbuti detentos, plerumque lienoſos eſſe, contendit Obſ. 33. Quicquid horum ſit, lienem Defuncti, ſine dubio, longè ante Obitum ejus, malè conſtitutum, hinc multorum pariter incommodorum atque Symptomatum fabrum extitiſſe, facilè concedi poteſt. Abſit enim, ut hoc viſcus pro ignavo & inutili, cum Eraſiſtrato,

atque Ruffo Ephesio, cujus Usus ad vitam non adeò necessarius sit, habeamus, aut illorum attendamus Curiositatem, qui illud, superstite manente vitâ, extirpari posse, perhibent; ut potius, ex peculiari ipsius structura, peculiarem quoque, & ad Sanitatem genuinam conservandam, maximè necessariam ejus functionem esse; econtrà, præternaturalem hujus Constitutionem, varia Corpori Symptomata inducere, fateri cogamur.